



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De infinitate corporis naturalis aliarumque rerum quoad
multitudinem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

materia prima potest absolui diuinitus ab omni forma substantiali: & tamen repugnat materia prima, quæ sit essentialiter repugnans omni formæ substantiali, eiusque incapax, cum materia definitio sit, quod sit primum subiectum formarum; similiter ergo non ex eo quod possibile sit aliquid absolui ab omni duratione, sequetur possibile esse, & quod quidpiam omni duratione repugnet, nullamve possit habere. Sic etiam non repugnat ignis, quem Deus absoluat ab omni calore: an propterea & possibilis erit ignis incapax caloris? Quidquid tamen sit de sequela, fortè consequens non est absurdum: ut enim est, quod suapte natura æternum est: nempe Deus Opt. Maximus: ut, quod æuo mensuratur, cuiusmodi est Angelus: ut, quod tempore, quale est omne corpus naturale corruptibile: ut, quod solo instanti, videlicet duratio momentanea: cur etiam in alia rerum serie possibile forsam non sit aliquid adeo imperfectum, ut non solum vix duret ad instar durationis instantaneæ, sed ut nullo modo duret? Atque de his satis:



TRACTATUS III.

De infinitate corporis naturalis aliarumque rerum quoad multitudinem.

CAPVT PRIMVM.

An multitudo corporum, siue rerum incorporearum syncategorematicè infinita à Deo produci possint

INFINITVM proprie, & philosophicè sumptum est, cuius aliquid semper est extra, hoc est, à quo quantumcunque numerum finitum, aut quantumcunque quantitatem determinatam, & finitam sumas, aliquid amplius desumendum superest: quanquam enim ab infinitate hominum possibilem 10. 100. 1000. decies mille, centies mille, millies mille, aliumve quemvis numerum abscindas, adhuc plures homines in infinitum residuerunt, extra eos, qui abscissi sunt: ita Aristoteles lib. 3. Phys. Quod verò nonnulli Philosophi apud Aristotelem indidem aiunt, infinitum definiti posse, & debere, cuius nihil est extra se, sustinendum non est: quia aut per definitionem denotatur, infinitum esse illud, cui nulla perfectio in suo genere deest, aut extranea est: & ita ea definitio non tam infinitum, quam perfectum quantumlibet finitum sic definit: aut per eam definitionem denotatur, infinitum esse cuius nihil in suo genere extra ipsum est, cuiue nulla additio in suo genere fieri potest: & ita falsa omnino est: si enim Deus à centro terræ sursum producat lineam infinitam, ea infinita erit, & tamen ei additio aliqua fieri potest non solum finita, quod instituto sufficeret, verum etiam infinita; nimirum si Deus eandem lineam deorsum in infinitum producat. Infinitum aliud est categorematicum: syncategorematicum aliud: infinitum categorematicum est, quod penes omnes suas partes simul existit: syncat-

egorematicum est, quod solum penes aliquas partes, easque finitas simul existit; ita tamen, ut ei accessio infinita fieri possit: cum enim terminus categorematicus talis sit, quia per se significat: syncategorematicus autem, quia non nisi adiuncto alteri significat; sanè infinitum, quod per se absque vlla additione tale est, iure merito dici debet infinitum categorematicum: quod verò per se finitum est, & non nisi adiunctione aliorum infinitum, eo ipso syncategorematicè infinitum appellandum est: prius infinitum est tale simpliciter: posterius verò secundum quid: prius est infinitum acta: posterius verò duntaxat in potentia.

Quibus positis censeo, multitudinem creaturarum quarumlibet syncategorematicè infinitam à Deo produci posse: hoc est, non tot entia, qualiacunque ab eo produci posse, quin semper plura valeant ab illo produci. Ita B. Thomas 1. p. quaest. 14. art. 12. & cum eo Thomistæ omnes. Ita etiam P. Vasquez 1. p. disput. 63. art. 2. P. Valencia tom. 1. disp. 1. quaest. 14. punct. 6. PP. Molina, Hurtado, Quiedo, Arriaga, Conimbric. & ceteri Societatis nostræ Doctores. Quibus adde Okamum in 3. dist. 13. q. vnic. art. 1. Gabrielem, & plerisque Nominales. Probatur autem hæc nostra sententia: primò quia omnipotentia Dei est potentia infinita: ergo infinitos effectus producere potest. Antecedens perspicuum est: quia si omnipotentia non esset potentia infinita, non esset, cur alicui creaturæ communicari nequiret, aut cur aliqua creatura omnipotens esse non posset. Consequentia verò suadetur: quia potentia finita, qualis est humana, vel Angelica finitos solum effectus producere potest: ergo potentia infinita infinitos numero effectus producere poterit. Dices, omnipotentiam Dei esse potentiam infinitam ex parte modi, eo quod perfectissimo, & infinito modo operetur: secus verò ex parte termini: unde non esse, cur terminos numero infinitos respiciat: contra tamen, quia eo ipso, quod omnipotentia Dei sit potentia infinita ex parte modi operandi, non est, cur non sit potentia infinita etiam ex parte termini: haud secus ac è contra potentia creata tam ex parte modi, quam ex parte termini finita est. Probatur secundò, quia anima rationalis verbi gratia durat per durationes successiuas à se ex natura rei distinctas: at durationes, per quas duratura est, sunt syncategorematicè infinitæ, id est, non tot, quin plures: ergo &c. Maior suprà tract. 2. huius libri cap. 2. & seq. à nobis est ostensa. Minor probatur: quia anima rationalis æternum duratura est: at non per durationes numero finitas, & tot, non plures: ergo per infinitas.

Probatur tertio: non magis infinitus est intellectus Dei, quam omnipotentia Dei: at intellectus Dei infinita obiecta cognoscere potest: ergo & eius omnipotentia infinitos effectus, siue non tot, quin plures producere. Minor suadetur: quia intellectus Dei necessario cognoscere potest, & debet ea obiecta, quæ intellectus creatus cognoscere potest: aliàs aliquid nobis innotescere posset, quod Deum latere posset: at intellectus creatus infinita obiecta cognoscere potest; siquidem infinitas chimæras cognoscere potest: quot enim chimære fingi possunt? demus verbi gratia esse 10. mille: an non vltius alia chimæra fieri, siue cognosci poterit ab eo, qui præter enumeratas

enumeratas

meratas chimæras, aliam esse possibilem assereret: Quartò probatur assertio: nullus numerus finitus equorum verbi gratia à Deo produci potest, quin ab eo alius maior produci possit: ergo &c. Antecedens probatur: quia signato quouis non est potior ratio de illo, quàm de alio maiori: ergo sicut ille, sic alius maior à Deo produci poterit. Deinde demus claritatis gratia, numerum illum finitum maximum equorum Deo possibilem esse mille equorum: sanè poterit, & non poterit alius numerus millenarius equorum à Deo produci: non poterit, quia mille equi tantum possibiles supponuntur: poterit, quia si alius numerus millenarius, priori omnino similis, & aequalis, sit impossibilis: sanè prior etiam numerus millenarius omnino impossibilis erit: sicut si Paulus similis, & aequalis Petro impossibilis sit, non poterit Petrus impossibilis non esse.

4. Quintò suadetur assertio: quia in Concilio Constantiensi sess. 15. inter errores Ioannis Hus refertur hic ibi: *Deus nihil potest annihilare, neque potest mundum maiorem aut minorem, sed animas usque ad certum numerum creare, & non ultra*: at si multitudo animarum à Deo creabilem finita esset, Deus tantum posset animas creare usque ad certum numerum, & non ultra: & rursus, si numerus effectuum à Deo possibilem syncategorematicè finitus esset, unde nobis constaret, Deum posse mundum maiorem, sicuti Concilium sanxit? Sexto, quod ad multitudinem indiuiduorum attinet, nulla species est, quæ sub se infinita indiuidua non contineat: aliàs esset aliqua species, quæ duo tantum indiuidua solo numero indistincta; alia, quæ tria; alia, quæ quatuor duntaxat, & sic de reliquis numeris continerent: quæ quis commentitia, & chimerica esse non conspiciat? Quod verò ad multitudinem specierum attinet, nulla species creata adeò perfecta assignari potest, quin alia perfectior à Deo produci possit, cum quauis finita sit, & à diuina perfectione infinita diffita: igitur species syncategorematicè infinita à Deo produci possint: aliàs si finitæ numero essent, aliqua assignari posset, quæ superior esse non posset. Demum, quantitas discreta, siue multitudo entium categoriematicè infinita à Deo produci potest, vt inferius ostendamus: ergo à fortiori, & syncategorematicè infinita.

CAPVT II.

Inter species creaturarum syncategorematicè infinitas à Deo producibiles assignari non posse supremam, & perfectissimam verius est.

5. Ita D. Thomas 1. p. q. 2. art. 6. & q. 1. de potent. art. 2. Bonau. in 1. dist. 44 q. 1. Capreolus in 1. dist. 43 q. ult. art. 2. Richardus quodl. 2 q. 4. Egidius quodl. 3 quæst. 5. Heruarius quodl. 7 quæst. 2. Soncin. 12. Metaph. quæst. 5. Argent. in 2. dist. 1. quæst. 2. P. Vasquez tom. 1. in 1. p. disp. 106. cap. 1. P. Hurtado d. 13. phys. sect. 1. Conimbric. lib. 4. phys. cap. 8. quæstione 3. art.

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

2. Quiedo controuer. 14. phys. punct. 7. Faslus 1. p. disput. 11. numero 4. Compton. d. 56. phys. f. 8.

6. Probatur primò ex Dionysio Areopagita in hunc modum: species creaturarum procedunt à Deo, sicuti numeri ab unitate: at numeri ita ab unitate procedunt, vt numerus finitus omnium maximus impossibilis sit: ergo & species creaturarum ita à Deo procedunt, vt impossibilis sit species aliqua creata, & finita, omnium suprema, & maxima. Minor perspicua est: si enim numerus finitus omnium maximus possibilis esset, is additione vnus unitatis finitæ definito in infinitum excreceret, quod euidenter falsum est. Maior, præterquam quod de se satis verosimilis, & perspicua apparet, ex Dionysio c. 18. de diuin. nominib. probatur: siquidem ibi ita fatur: *unum autem, quoniam omnia unitate secundum vnus unitatis excessum, & omnium est vnus inegressibiliter causa*: quibus verbis Deo attribuit esse vnum duabus de causis: quarum secunda est, quia vnus est causa omnium, Deus autem propriissime omnium etiam causa est; eamque causam exponit D. Thomas in hæc verba: *secundo, vnus attribuitur Deo, quia vnus secundum suam intentionem consideratum est omnium causa inegressibiliter*. Cum autem varios modos assignet, quibus vnus est omnium causa, & principium: secundum modum explicat, quia nequit omnis multitudo, & omnis numerus esse ab unitate velut à principio: quam rationem attingit Dionysius his verbis: *& sine vno quidem non erit multitudo, sine multitudine vero erit vnus, sicut & unitas ante omnem numerum, & multiplicatum*. Quæ verba egregiè in rem nostram exponit D. Thomas ibi: *deinde cum dicit (& sine vno quidem) ponit secundam rationem, quæ talis est: illud, a quo non conuertitur consequentia essendi, est naturaliter prius, & quodammodo principium: sed vnus est huiusmodi, quia sine vno non inuenitur aliqua multitudo, sed inuenitur aliquod vnus absque omni multitudine: vnus igitur est prius omni multitudine, & principium eius; cuius signum apparet in numeris, quia unitas est ante omnem numerum qualitercunque multiplicetur*. Hactenus Dionysius, & Thomas: quum ergo species creaturarum sint, esse ve possint à Deo, sicut numeri ab unitate: certè sicut numerus finitus omnium maximus, sic species creata, & finita omnium suprema, & perfectissima repugnabit.

7. Id ipsum confirmatur ex Dionysio capite 8. de diuinis nominib. vbi sic loquitur de Deo: *& omnia secundum virtutem indeclinabilem, & incircumscritam produciens, & sicut ipse, quod est esse virtutem aut totam, aut particularem causa existens: & sicut infinita virtutis non tantum eo, quod omnem virtutem produciat, sed etiam eo, quod est super omnem, & ipsam per se virtutem; & eo, quod super potest, & infinitè infinitas alias ab existentibus virtutibus producere; & eo, quod nunquam possunt infinita & infinitum producta virtutes super infinitam ipsius virtutem facientis hebetare actionem: & eo quod ineffabilis, & ignota, & incogitabilis est cuncta egrediens ipsius virtus*. Pende primò, virtutem Dei incircumscritam dici: at si possibilis esset creatura omnium possibilem perfectissima, Cē omnipotentia

omnipotentia Dei ea ita circumfinita esset, ut aliam magis perfectam producere nequiret. Pen- de secundo, posse Deum quavis virtute produ- ctâ infinite infinitas alias perfectiores producere, ita ut eius omnipotentia cuncta egredi, & supe- rare possit: at si esset possibilis creatura su- prema, ea producta, nequiret Deus aliam per- fectiorem, ne dum infinitas perfectiores produ- cere.

Verum hæc ratio, quam ex D. Dionysio fuse proposuimus, tribus modis labefactari posse vi- detur. Primò in hunc modum: species creatu- rarum sunt à Deo, sicut numeri ab unitate: at est possibilis numerus omnium perfectissimus: ergo & creatura omnium perfectissima. Minor probatur: quia numerus binarius est omnium numerorum perfectissimus: in primis ob maio- rem eius simplicitatem, quàm cæterorum nume- rorum: tum quia magis appropinquat unitati, quæ numerorum omnium principium est: quare sicut creatura quo magis appropinquat Deo, qui creaturarum omnium primum principium est, eò perfectior est; ita numerus binarius quo reliquis numeris unitati propior est, eo reliquis numeris perfectior est. Demum quia sola dualitas nume- ros omnes extra primos numerat, & meretur; esse autem aliorum mensuram ad perfectionem atti- net: numeri autem primi ij nuncupantur, qui nullo alio numero numerari possunt, quales sunt 3. 5. 7. Confirmatur quia Platonicus, & Pythago- fici, qui numeris omnia consistere putarunt, so- lam dualitatem esse principium materiale om- nium arbitrati sunt; videlicet quia dualitas reli- quis numeris prior, & perfectior est. Ita Pla- tonem sensisse refert Aristoteles 1. Metaphys. capite 6. ibi: *dualitatem autem alteram natu- ram fecisse ex eo fuit; quia numeri præter primos apte ex ipsa perinde ut sigillo quodam sunt, ac ge- nerantur.*

9. Respondeo, numerum binarium esse nume- rorum omnium perfectissimum: id quod à nobis suprâ libro 2. tract. 5. capite 1. prope finem ad- missum, atque probatum est: cæterum B. Dio- nysium non loqui de numero omnium perfectis- simo, neque intendere, quod ad eius instar sit possibilis creatura omnium perfectissima: alias qua ratione numerus dualis finitè tantum ab uni- tate distat, eaque duplo tantum imperfectior, & compositior est: ita similiter creatura illa perfe- ctissima finite tantum à Deo distaret, eoque du- plo tantum minus perfecta foret, quod ridi- culum est. Igitur D. Dionysius intelligendus est de numero maximo, eiusque more creatu- ram maximam, & perfectissimam impossibi- lem asseruit. Et quidem si numerus binarius est omnium perfectissimus, sanè nullus nu- merus erit omnium imperfectissimus; eo enim imperfectiores sunt numeri, quo magis à dua- litate recedunt: cum ergo nullus infinite, & summe à dualitate recedat, certè nullus sum- me imperfectus erit: ergo etiam creatura sum- me imperfecta repugnabit: quando igitur ad- uersarij eadem ratione de creatura perfectissi- ma, ac de imperfectissima philosophantur, sanè creatura etiam perfectissima repugna- bit.

10. Secundo opponi potest ex Durando in 1. di- stinctione 44. numeros, & figuras non dicere naturam, siue substantiam rerum, sed earum

modos siue accidentia; figura enim, inquit, est varia positio, numerus autem plurificatio indiuiduorum. Quare quod numerus omnium maximus repugnet, nequitiam arguit substan- tiam omnium maximam perfectissimam repugna- re. Contra tamen primò, quia ubi accidens omnium maximum, ac veluti perfectissimum repugnet, uti solutio largitur: non video qua ratione substantia, siue essentia omnium per- fectissima, & suprema possibilis esse nequeat. Contra secundo, numerorum variae sunt species propriè tales, nimirum dualitas, trinitas, qua- ternitas, &c. sicut ergo nulla species numeri su- prema, & maxima assignari nequit, ut solutio largitur, cur vlla alia species omnium perfectis- sima, & suprema admitti debeat. Tertio op- poni potest contra præfatam rationem ex Diony- sio desumptam, omnium creaturarum possibi- lium collectionem esse numerum omnium ma- ximum: quod enim si numerus sit, omnium maximum esse debeat, perspicuum est: quod verò numerus sit, suadetur: quia ut aliqua collectio numerus propriè sit, necesse non est, ut ea finita sit, ut constat ex Eccles. 1. capite ibi: *stultorum infinitus est numerus*, & 4. capite ibi: *infinitus numerus est populi*: quantumvis ergo collectio omnium creaturarum possibilium infinita sit, adhuc numerus appellari poterit. Contra tamen primò, quia saltem numerus fi- nitus omnium maximus, & supremus repu- gnat: at id satis superque est, ut argumentum nostram ex D. Dionysio desumptum concludat. Contra secundo, quia collectio infinita non ni- si fuse, & improprie numerus appellari po- test: perinde enim est, collectionem aliquam infinitam esse, ac innumerabilem esse: infini- tas ergo & numerus repugnant, eidemque con- uenire non possunt: ergo collectio infinita crea- turarum omnium possibilium numerus dici non potest: ac proinde numerus omnium maximus admitti hoc nomine non debet.

11. Secundo probatur nostra sententia, & su- perior ratio confirmatur: repugnat figura om- nium maxima, & suprema: ergo & repugnat species creaturæ omnium maxima, & perfe- ctissima. Consequentia videtur sine vllò dis- crimine. Antecedens suadetur, quia figura definitur, *qua sub aliquo, vel aliquibus ter- minis continetur* iuxta Euclid. libro 1. elem. def. 14. ergo omnis figura terminata, atque aded fi- nita est: ergo omnis figura ab alio maiori supe- rari, & excedi potest: si enim figura infinita terminis ambitur: ergo extra illam plura spatia imaginaria superfluent: ergo in iis alia figura fingi potest: cur ergo prior in iis extendi, & dis- fundi, maiorque effici nequeat? Quantumvis igitur figura aliqua infinita sit, non ob id ma- xima, & suprema erit: & quidem innumeris etiam figuris, in quibus quoad maximum termi- num præscribi non posse hæcenus ostensum est, omnes ferme aduersariorum rationes instantur, atque eneruantur.

12. Tertia ratio nostræ sententiæ est: quavis creatura à perfectione Dei infinite distat: ergo possibilis est alia creatura perfectior, & quæ magis ad perfectionem Dei accedat: ergo creatura perfectissima, & quæ alia perfectior esse nequeat, planè repugnat. Confirmatur primò, quia plus distat Deus à quavis creatura quantumlibet

quantumlibet perfecta, quàm sol à formica, si forte eam perfectione superat : at sol aliquod viuens perfectius formica generare valet : ergo & Deus producere creaturam perfectiorem quauis designabili. Confirmatur secundo, quia plus distat Deus infinitus simpliciter à quauis creatura, quàm linea infinita à linea finita : at linea infinita non est adeò perfecte imitabilis ab vlla linea finita, quin ab alia maiori perfectius imitabilis sit : ergo nulla creatura adeò exactè Deus æmulatur, quin alia exactius æmulari possit.

13. Dices : tota collectio creaturarum etiam infinite distat à Deo, Deûsque illam infinitis perfectione superat, & tamen inter collectionem creaturarum, Deumque alia creatura interici, à Deo ue produci non potest, quia præter collectionem omnium creaturarum nulla alia creatura possibilis est : ergo similiter, licet sit inter creaturam quamuis designabilem infinita distantia; inde non sequitur, Deum efficere post creaturam perfectiorem quauis designabili, vllamue creaturam supremam esse. Quare Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 47. inter Deum, & quamuis creaturam datur infinita distantia non ratione intercidentis medij, sed per infinitatem alterius extremi : hoc est, non quod inter Deum, & quamuis creaturam infinita perfectiores interici possint, sed eo, quòd alterum extremum altero infinite perfectius sit.

14. Contra tamen sic argumentor : collectio omnium creaturarum possibilium etiam collectiue sumpta, idè infinite distat Deo, quia inter eam diuisiue sumptam, Deumque infinita creaturæ perfectiores interponi possunt : nullaque creatura totius collectionis est, qua plures perfectiores à Deo produci non possint : qua ratione collectio assensus, & dissensus etiam copulatiue sumpta est ens reale, quia ea collectio diuisiue sumpta à parte rei produci potest, esto copulatiue, & simultaneè sumpta produci nequeat. At inter creaturam perfectissimam, & Deum in nullo sensu alia creatura perfectior interponibilis est : ergo creatura illa perfectissima à Deo infinite distare nequit. Deinde collectio creaturarum omnium possibilium omnes creaturas complectitur : mirum ergo non est quod extra eam quantumlibet finitam simpliciter, Deumque in omni genere infinitum, & illimitatum, alia ea perfectior, Deoque imperfectior interici nequeat. At creatura illa perfectissima omnes creaturas posibles non complectitur : cur ergo cum finita sit inter eam, Deumque infinitum, & gloriosum alia perfectior interici nequeat ? Dices, quia alia perfectior non est possibilis : verum quid hoc aliud, quàm principium repetere, & conclusionem pro ratione assignare ? Quod autem aiunt aduersarij distantiam infinitam Dei à creatura quauis designabili non esse per modum intercidentis medij, sed per infinitatem alterius extremi optimè refellitur à Caetano 1. part. quæst. 24. in respons. ad vltimum Aureoli : sicut enim quantitas continua infinita nequit superare infinite quantitatem bicubitam, quin inter vtramque infinita quantitates maiores, & maiores interici possint : ita similiter fieri nequit, vt Deus per infinitatem sui esse quamuis creaturam designabilem superet, quin inter eum, & creaturam quamuis infinita creaturarum species perfectiores interici possint.

15. Quarta ratio pro nostra sententia sit : quia ex R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

opposita sententia sequeretur, species creaturarum à Deo producibiles simpliciter finitas numero esse. Consequens est absurdum : ergo, &c. Minor à nobis cap. præcedenti probata est contra Scotum, & assecclas. Maior probatur, quia si datur creatura omnium perfectissima, eadem ratione danda est creatura omnium imperfectissima : id quod omnes aduersarij fatentur : ergo species omnes creaturarum duobus terminis clauduntur, & finiuntur, nimirum specie suprema, & specie infima : ergo species creaturarum posibles numero finitæ sunt.

Respondent primò aduersarij, infinitas species creaturarum duobus terminis claudi posse : quæ ratione etiam in nostra sententia inter hominem & formicam sunt posibles infinitæ aliæ species, quarum nulla adeò perfecta ac homo, aut adeò imperfecta, ac formica sit. Contra tamen : quia aut sermo est de terminis mediatis, & quibus nulla pars intermedia, immediata, & proxima sit, & hac ratione non inficior infinitum terminis claudi posse : sic enim puncta sunt termini mediati quantitatis continuæ quantumlibet infinitæ, nimirum quia nulla pars eius quantitatis alterutri puncto immediata est, ita vt inter eam & punctum alia pars minor interiecta non sit : sic etiam instantia temporis limites extremi, & mediati sunt : sic etiam Deus, & nihil creaturarum omnium possibilium termini censentur : aut sermo est de terminis immediatis, quibus vtrunque partes interiectæ proximæ, & immediatae sunt : & hac ratione infinitum duobus terminis claudi posse implicat, vt apertè, nisi fallor, ostendam tract. sequenti. Vnde sic argumentor : aut creaturæ perfectissimæ est immediata, & proxima alia minus perfecta, & imperfectissimæ alia magis perfecta, & sic vltra : atque ita infinita creaturarum species terminis immediatis clauduntur, quod repugnat : aut creatura proxima perfectissimæ possibilis non est : & sic à fortiori creatura Deo proxima, & immediata repugnabit, præsertim cum hic omnes aduersariorum rationes infringantur.

Respondent alij secundo ; species creaturarum inæquales, & quæ linea recta à suprema creatura ad infimam descendunt, infinitas non esse ob rationem à nobis in argumento propositam : cæterùm species creaturarum perfecte æquales, & quæ à creatura suprema ad infimam recta linea non descendunt, sed potius lineas transversales efficiunt, has, inquam, infinitas numero esse, nec oppositum à nobis falsitatis euinci, aut posse. Verum in primis, species diuersas creaturarum inuicem æquales non repugnare adeò constans non est : & oppositum à Theologis non exigui nominis defenditur. Deinde implicat, Deum posse producere infinitos numeros æquales, v. gr. binarios, quin & infinitos numeros inæquales producere possit, quia infiniti binarij infinites inter se complicati infinitos numeros inæquales parere poterunt : ergo etiam implicat, Deum posse producere infinitas species æquales, quin etiam infinitas inæquales producere possit : siquidem in infinitis speciebus æqualibus infinitarum specierum inæqualium diuersitas latere, & eminenter contineri potest : sicuti proportionem seruata in numeris cernere est. Rursum, si ad species creaturarum existentes, ex quibus non existentium conditionem

C c 2 venari

venari possumus; si, inquam, ad eas respicias plures existunt inæquales, quàm æquales: imò de nulla specie existente alteri æqualem esse nobis constat: ergo etiam species possibiles inæquales plures, vel certè non pauciores erunt, quàm species æquales: cum ergo species possibiles inter se æquales iuxta aduersarios infinitæ sint; gratis id ipsum de inæqualibus inficiantur. Demum nostra sententia suaderetur, quia creatura infima, & imperfectissima repugnat, vt lib. 2. tr. 5. c. 3. ostendi: ergo & creatura suprema, & perfectissima.

CAPVT III.

Soluntur argumenta contraria.

18. **O**ppositam sententiam tuentur Henricus Gandau. quòd. 3. qu. 3. & quòd. quæst. 8. Durand. in 1. dist. 44. qu. 2. Scotus in 3. dist. 13. q. 1. Esculanus 3. Phys. lib. 7. q. 3. Aureolus in 1. dist. 44. q. vnica art. 4. Bacan. ibidem qu. 1. art. 2. & nouissimè Arriaga dist. 13. sect. 3. Arguunt primò: si non daretur creatura omnium perfectissima, siue qua alia perfectior possibilis non esset, ab homine v. g. sursum possibiles essent species creaturarum perfectiores, & perfectiores in infinitum: consequens est absurdum: ergo, &c. Maior perspicua est. Minor probatur, quia si eiusmodi progressus in infinitum specierum possibilis esset, daretur aliqua species, quæ haberet sub se, infinitas species: hoc autem repugnat, quia eiusmodi species esset infinitæ perfectionis, Deoque æqualis.

19. Verum respondeo primò: si quod aduersarij fatentur, datur creatura infima, ab ea infinitæ species creaturarum sese excedentium gradatim ascendere poterunt, quin ob id vlla species sit, quæ sub se infinitas contineat: haud secus ac ab vnitate progrediuntur numeri finiti maiores, & maiores sine fine; & tamen non est deuenire ad vllum numerum finitum, qui sub se infinitos numeros contineat: aliàs eiusmodi numerus finitus, & infinitus esset. Deinde respondeo; non solum aliquam creaturam possibilem, verum etiam quamuis existentem habere sub se infinitas creaturarum species se se gradatim excedentes; cum enim nulla creatura imperfectissima sit, vt lib. 2. tract. 5. cap. 3. ostensum est: sanè nulla creatura erit, quæ infinitas species inferiores non sustineat: hinc autem minime fit, creaturam vllam infinitam simpliciter, Deoque parem esse, quia infinitas cuiusque creaturæ, quæ alias infinitas superat, in aliquo tantum genere est, Dei verò infinitas in omni genere est, eo quod nulla sit perfectio, quam formaliter, aut eminenter non contineat, quod tamen supra conditionem creaturæ est: & præterea, quia infinita perfectio cuiuscunque creaturæ multis imperfectionibus admixta est, Dei verò infinita perfectio ab omni imperfectione defæcata est.

20. Arguunt secundo: sumpta tota creaturarum collectione, & sub vnum mentis aspectum posita non omnes creaturæ in ea contentæ exceduntur ab alia creatura, quia præter omnes alia non est: ergo aliqua non exceditur ab alia creatura, hæc autem proculdubio perfectissima est. Antecedens exploratum est. Consequentia etiam perspicua videtur, quia non omnis, & quidam siue

aliquis non æquipollent, vt constat ex primò æquipollentium vericulo:

21. Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus. Respondeo: non omnes creaturæ collectiue, siue copulatiue sumptæ exceduntur ab alia ob rationem in argumento insinuatam; secus verò distributiue, siue diuisiue sumptæ: inde tamen non fit, aliquam non excedi ab alia, quia ly omnis non, & aliquis non tunc præcisè æquipollent, cum omnis, & aliquis seruata proportionè sumuntur: cumque sicut quidam diuisiue accipitur, sic etiam omnis diuisiue usurpatur: quod hoc exemplo, vt aliis superseadam, manifestè ostendo; quia non omnes partes albi copulatiue, siue collectiue sumptæ distinguuntur realiter, inadæquatè ab albo: & tamen inde fieri nequit, aliquam partem albi non distingui realiter inadæquatè ab albo.

22. Arguunt tertio: sumpta tota collectione creaturarum possibilium ab homine inclusiue vsque ad Deum Opt. Maxim. vel in ea collectione est aliqua creatura, quæ ab alia non excedatur; & hæc suprema erit: vel nulla est, quæ ab alia non excedatur; & sic species excessæ in ea collectione contentæ plures erunt, quàm species excedentes in ea contentæ, & rursus non erunt plures: non erunt quidem plures; quia in ea collectione nulla est excessæ, cui aliqua excedens non correspondeat; ergo excessæ non sunt plures, quàm excedentes: erunt deinde plures excessæ, quàm excedentes; siquidem nulla est excedens, quæ simul non sit excessæ ab aliqua specie eius collectionis, aliqua verò est excessæ, quæ non sit excedens speciem vllam eius collectionis, nimirum species hominis, quæ nec seipsam, nec alias superiores excedit: ergo species excessæ sunt plures, quàm excedentes. Respondeo, vnum infinitum non esse maius, quàm aliud, nec plures partes, quàm aliud sortiri potest, vt sæpè sæpius monuimus: quare etsi in ea collectione sit aliqua species excessæ, & non excedens; nulla verò sit excedens, & non excessæ: non propterea excessæ plures erunt, quàm excedentes, nec pauciores etiam; videlicet quia ambæ infinitæ sunt, eaque calculatio in solis collectionibus finitis concludere potest. Sic si duæ lineæ in Orientem, protendatur altera à puncto A, altera verò à puncto D. magis Orientali; non ob id vna erit maior alia, quantumque in vna sint aliquæ partes, quæ non in alia: nimirum eæ, quæ puncta A. B. C. occupant: cuius ratio alia non est, nisi quia ambæ sunt infinitæ.

23. Arguunt quarto: Deus propofita sibi ob oculos tota collectione creaturarum incipiendo ab homine; vnico ictu cognoscit, quæ creatura primam speciem (hominis v. g.) quæ secundam speciem, quæ tertiam, & sic vltra in infinitum excedat: ergo vsque eò progredi potest, vt cognoscat aliquam, quam alia non excedat, sibi que immediata sit: aliàs cognitio Dei nunquam sisteret, aut ad scopum deueniret, sed semper in incertum tenderet. Respondeo. Deum in eo progressus intentionali nunquam sistere: nec mirum id est, cum in ipsis speciebus cognitis status non sit: ob id tamen dici nequit, diuinam cognitionem ad scopum sibi præfixum non deuenire, aut in incertum ferri: quia hæc locutiones denotant confusionem, & imperfectionem in diuina cognitione, quæ tamen ex eo progressu intentionali neutriquam colliguntur, sed potius summa perfectio,

perfectio, & claritas: nisi enim Deus infinita perspicacia esset, infinitas species cernere, & discernere non posset.

24.

Arguunt quintò: Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest; hæc propositio videtur per se nota, cum in ea prædicatum sit de ratione subiecti: demus ergo eam productam: aut est omnium creatura perfectissima; & ita intentum habetur: aut non est; & sic Deus non produxit perfectissimam, quam potuit, contra hypothese. Respondeo: ea propositio non est per se nota, sed per se manifestè falsa: siquidem creatura perfectissima, quam Deus potest, chymara, & impossibilis est, vt hætenus ostendimus: perinde ergo est dicere, Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest; ac dicere, Deus potest producere chymaram: hæc autem propositio, Deus potest producere chymaram, manifestè falsa est: ergo & illa prior. Sed quid miror in his, & similibus argumentis refutandis, quæ in numeris, & lineis apertam instantiam patiuntur: & si cuius momenti sunt, certè probant, numerum finitum omnium maximum, lineamque finitam omnium maximam possibilem esse, vt intuitu constabit.

C A P V T I V.

Multitudinem creaturarum, siue corporearum, siue incorporearum etiam cathegorematicè infinitam à Deo produci posse probabilius est.

25.

Ita Gregorius in 1. distinct. 43. quæst. 4. Bassolis. quæst. vnica art. 2. Gabriel in 2. dist. 1. q. 3. Okam; Auicenna, Algazel, PP. Vasquez in 1. part. disp. 26. Compton disput. 46. Phys. sect. 4. Hurtado disp. 13. Phys. Conimbricens. 3. Phys. c. 8. licet ibidem oppositum probabile esse tueantur. Probatur assertio, primò: quia partes continui actû existunt: at hæ cathegorematicè infinitæ sunt; vt supra lib. 3. fusc ostendimus: ergo multitudo entium cathegorematicè infinita actû existit, atque adeò existere potest. Secundò, quia collectio infinita hominum ea est, cuius quæuis pars (quoduis nimirum indiuiduum hominum) possibilis est; & etiam cuius quæuis pars cum alia quauis nullam impossibilitatem, aut oppositionem habet: ergo ea tota collectio simul à Deo produci potest: aliàs etiam aliqua collectio finita hominum v. gr. simul à Deo produci non posset, esto quæuis eius pars possibilis esset, & nulla impossibilis cum alia. Quod autem aduersarij respondent, aut certè possunt quamuis collectionis infinitæ partem esse compossibilem cum quauis alia, secus verò omnes; id de collectione aliqua finita hominum confingi posset. Tertiò probatur assertio: quia infiniti actûs in infinitis instantibus, eodem tamen ac finito loco existere possunt, vt cernere est in pœnis, quibus damnatus in inferno æternum cruciandus est: ergo è contra infinita entia (homines v. gr. infiniti) in infinitis locis, eodem tamen ac finito tempore existere poterunt: Quartò: quia per scientiam simplicis intelligentiæ videt Deus possibilem multitudinem entium infinitam: ergo ea actû simul existere poterit. Antecedens

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

cap. 1. probatum est. Consequentia perspicua est: siquidem pleraque argumenta contra multitudinem entium simul existentem obici solita, in eadem vt possibili instaurari, & enervari possunt. Quintò demum probatur eadem assertio solutione argumentorum; ad quam progredior.

Prima ratio contraria est D. Thomæ 1. part. quæst. 7. artic. 4. omnis multitudo est in aliqua specie numeri: sed multitudo infinita in nulla specie numeri est, vt pote innumerabilis. Verum in primis hoc argumentum oppugnat multitudinem non solum cathegorematicè, verum etiam syncathegorematicè infinitam; cum tamen hanc D. Thomas non neget. Deinde minor argumenti falsa est, & non probatur. Secunda ratio est eius indidem; omne, quod producit, cadit sub certam intentionem agentis: at infinitum ita cadere non potest: ergo, &c. Maior perspicua videtur. Minor probatur: quia certa intentio agentis est, qua tot, tantaque producere intendit: quod si non sub ratione totius, tantum tendat, sanè non certa, sed potius incerta, sibi que non constans eius intentio futura erit: at multitudo infinita hac ratione sub certam agentis intentionem cadere non potest, cum quantà, quotane sit, designari nequeat. Verum huius etiam argumenti minor, minorisque probatio falsa est: siquidem vt aliquid cadat sub certam intentionem agentis, satis est, vt cadat sub determinatam voluntatem regulatam infallibili, & certa cognitione: quæ quidem ratione infinitum sub certam agentis intentionem cadere potest: & quidem id quod infinitum est, & nec quotum, nec quantum, certæ tamen intentionis obiectum esse posse constat ex processione diuinarum personarum; siquidem vna persona illarum, aliam productura, hoc ipso eam producere intendit, quantumcunque naturaliter eam producat: at alia sic intenta infinita est, omnisque mensuræ expers.

Secunda ratio est Alexandri Alenf. 1. part. quæst. 2. memb. 2. ad 3. Si Deus infinitum producere posset, sanè & posset producere omnia, quæ cognoscit possibilia: cuncta enim possibilia infinita tantum sunt, nec plura: atqui Deus omnia, quæ cognoscit possibilia, producere simul non potest: aliàs eius exhauriretur omnipotentia: nihil enim aliud faciendum superesset. Respondeo: in primis quamuis Deus infinitum producere possit, non ob id poterit producere cuncta possibilia: aliud enim est, posse producere simul & semel (vt aiunt) aliquod infinitum: aliud posse producere omne infiniti genus; nec illa duo reciprocantur. Deinde esto Deus producat simul omnia, quæ possibilia videt, id intelligendum est de iis, quæ simul possibilia sunt; secus verò de iis, quæ non simul, sed successiue possibilia sunt: quare productis à Deo omnibus, quæ simul possibilia videt, eius omnipotentia exhausta non esset, vt pote cui infinitæ durationes successiue superessent producendæ, necnon infiniti actûs odij, & dissensus; si prius solos amoris, & assensus actûs produxisset: supponaturque, prout à plerisque aduersariis supponitur, repugnare essentialiter, vt quis simul amet, & oderit, assentiaturque, & dissentiat. Rursus si Deus omnia possibilia nullo excepto produceret, nihilque ei producendum restaret, non ob id ex-

C c 3 hausta

hauſta eſſet eius omnipotentia : quia ſcientia Dei quamuis cognoscat quidquid eſt cognoscibile, nihilque ei cognoscendum ſuperſit, non propter ea exhauritur : ergo ſimiliter in præſenti, &c. Præterea quod Deus in eo euentu nihil amplius producere poſſet, non ex defectu potentia in Deo; ſed ex incapacitate obiecti proficiſceretur: ſicut quod Deus chimaram producere nequeat, non ex defectu diuinæ omnipotentia; ſed ex repugnantia chimara oritur : ergo ſicut quod Deus chimaram producere non poſſit, nullius in eo imperfectionis indicium eſt : ita ſimiliter quod Deus in eo euentu nihil amplius operari poſſet, eius potentiam imperfectam, exhaustamve eſſe non concluderet. Vltius quantum Deus nihil in eo euentu de nouo producere poſſet, tamen quæ produxit deſtruere, & reproducere, aut non deſtructa conſeruare poſſet: at non maius eſt, rem de nouo producere, quam eam deſtructam reproducere, aut ne deſtruatur, continuo conſeruare : ergo omnipotentia Dei in eo euentu exhausta non eſſet. Tandem : ſi quod Deus in ea hypotheſi nihil de nouo producere poſſet, eius omnipotentiam exhaustum iri argueret; ſanè de facto eius omnipotentia diminuta, & non tam latè patens, quam antea dici deberet : ſiquidem de facto nequit tantumdem producere de nouo, quantum antea; eo quod partes vniuerſi exiſtentis produci non poſſint de nouo; ſicut, antea quam exiſterent, produci poterant.

28.

Tertia ratio contraria aliorum eſt : quia ſi infiniti homines à Deo producti habeant infinitos lapides, ſinguli nimirum ſingulos, eosque in acervum proiciant; duo proſectò exinde ſequentur inconuenientia. Primum eſt, ſi quiſque lapidem ſuum reſumat, acervum illum exhaustum, & non exhaustum iri : exhaustum quidem iri, quia nullus ſuper-eſſet lapis : non exhaustum iri, quia infinitus eſt : quod autem eſt infinitum, nequit exhauriri. Secundum inconueniens eſt, quemuis hominum illorum poſſe, & non poſſe reſumere ex eo acervo denos lapides : poſſe quidem, quia ſi ſinguli proiicerent denos lapides, ſinguli denos reſumere poſſent : at acervus nihilo minus infinitus eſt, quam ſi deni lapides à quouis proiecti eſſent : ergo ex eo acervo quiſque denos lapides poſſet reſumere : non poſſe quidem, quia ſi ſinguli ſingulos tantum lapides, quos poſuerunt, reſumerent, acervus exhauriretur, nullusque in eo lapis remaneret : at ſi ſinguli denos lapides reſumere ex acervo poſſent, ſanè accipiendo ſingulos tantum, acervus minimè exhauriretur, ſed potius infiniti in eo lapides remanerent : ergo ſinguli denos lapides reſumere non poſſent : aut aliter, ſi ſinguli denos lapides accipere poſſent, quiſque haberet plures lapides quam antea, ut perſpicuum eſt, & non plures, quia eoſdem lapides, quos antea, nullumque aliū haberent.

29.

Reſpondeo ad primum inconueniens; in hypotheſi argumenti, acervum lapidum præciſè exhaustum iri. Quod autem infinitum ſit, non obſtat : quia infinitum ablatione infiniti exhauriri valet; ſolæque finiti ablatio eſt, quæ illud non poteſt exhaurire. Ad ſecundum inconueniens dicendum eſt : in eadem hypotheſi ſinguli ſingulos tantum lapides reſumere poſſent, ſi uti ſupponitur; omnes reſumerent. Quod autem ille

acervus non ſit minor, quam ſi ſinguli denos lapides proieciffent; in quo tamen euentu quiſque denos reſumere poſſet : hoc, inquam, non obſtat : quia licet uterque acervus infinitus ſit, atque adeò vnus alio maior, aut minor non ſit; tamen in vno acervo ſunt infiniti lapides, qui in alio non ſunt : quod ſufficit, ut ex vno acervo ſinguli reſumere non poſſent, niſi ſingulos lapides, quos poſuerunt; ex alio verò denos, quos proiecierunt. Tandem plura argumenta congeri ſolent; quæ eo tendunt, ut oſtendant, infinitam multitudinem infinitum locum occupare non poſſe; atque adeò omnino impoſſibilem eſſe : ſi enim poſſibilis eſſet, infinitum locum occuparet, aut certè poſſet. Verum in primis hæc argumenta multitudinem certim ſpiritualium, in eodem loco naturaliter penetrabilium impoſſibilem eſſe non conuincunt : deinde neque multitudinem rerum materialium repugnare neutiquam perſuadent; cum etiam hæc in eodem loco diuinitus penetrari poſſint. Rurſus infinitam multitudinem infinito loco collocatam non implicare tract. ſequenti fuſè oſtendam.



TRACTATUS IV.

De infinitate corporis naturalis, aliarumve etiam rerum quoad extensionem localem.

CAPVT PRIMVM.

An corpus aliquod ſimpliciter infinite extendi poſſit quoad locum, & tamen duobus terminis claud?



ON poſſe, contra P. Arriaga diſp. 13. phyſicor. ſeſtione 1. & alios Recentiores, cenſeo, & probò. Si poſſibilis eſſet dimenſio aliqua corporea, locum ſimpliciter, ac verſus maximum infinitum occupans, & tamen duobus terminis clauſa; ſanè poſſet Deus creare triangulum, à cuius puncto pyramidali ad eius baſim eſſet infinita diſtantia. Fac ergo tale triangulum exiſtere, & in eo duci iuxta punctum pyramidale lineam vnus palmi, & poſtea lineam duorum palmarum, mox lineam trium palmarum, deinde lineam quatuor palmarum, & ſic in inſtitum uſque ad lineam vaſis pyramidi oppoſitam; ita ut nulla linea aliam ſibi immediatam niſi vno palmo ſuperet. Quo poſito, ſic argumentor : baſis eius trianguli eſt infinita, ut aduerſarij ſupponunt, & de ſe perſpicuum eſt, eo quod excedat lineas infinitas; quarum quatuor alia maior eſt : linea etiam proxima baſi, ſiue penultima infinita eſt, cum à baſi infinita ſolum vno palmo excedatur : eadem ratione linea antepenultima infinita erit, & ſic de aliis anterioribus in infinitum : deinde linea à puncto pyramidali inchoantes finita ſunt : ergo iam à lineis finitis ad lineas infinitas ſit tranſitus in eo triangulo : ergo